



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Vademecum Sive Praxis Opera Quotidiana Aliaque ritè  
peragendi, & per ea salutem & perfectionem propriam, ac  
proximi, instituto Societatis Jesu conformem assequendi**

**Limpens, Ferdinand**

**Coloniæ Agrippinæ, 1744**

Lectio Libri spiritualis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-54750](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-54750)

## Oratio ante negotia.

**D**irige me in veritate tua, & doce me, quia tu es DEUS Salvator meus, & te sustinui (tuam unicè quærendo gloriam) totâ die. Ps. 24. Respice in servos tuos, & in opera tua, & dirige filios eorum, & sit splendor Domini DEI nostri super nos, & opera manuum nostrarum dirige super nos, & opus manuum nostrarum dirige. Ps. 89. NB. Nominantur hic opera & opus, & hoc est illud, quod propriè est instituti. Quidam, dum in negotio arduo Magnatem alloqui debebat, solebat rogare Angelum suum Custodem, ut cum Angelo Tutelari illius ageret, eique negotia cum Magnate tractanda commendaret.

## Lectio Libri spiritualis.

**H**æc sive ante, sive post prandium affigenda semel pro semper est certo cuidam tempori, ne per diem ob studia, negotia, conversationes, aliâsque occupationes seu distractiones occurrentes penitus omittatur. S. P. N. inclamat tibi: Attende lectioni, 1. Tim. 4. spirituali saltem per quadrantem, & cum libri à viris spiritu DEI plenis conscripti, teste S. Gregor. non sint, nisi epistola quedam omnipotentis DEI ad creaturam, quâ arcana sua revelat, & divinam voluntatem suam aperit. Tu quoque cor tuum plenè aperiens DEO dic ante lectionem: Loquere Domine, quia audit servus tuus, 1. Reg. 3. & post lectionem, veletiam, dum inter legendum notabile quid occurrit, suspirans dic: Verba,   
 A 7   
 qua

qua locutus es mihi, spiritus & vita sunt. Demum sicut animal mundum & ruminans reflecte, quid exin retinere, quid eodem adhuc die in praxin velis redigere.

## §. IV.

Examen ante-merid. generale & particulare.

## 1. Punct. Solve DEO grates.

**B**enedic anima mea Domino, & noli oblivisci omnes retributiones ejus. Pl. 102. Recole beneficia communia omnibus, tibi cum multis, & tibi peculiariter præstita. Gratias age cum applicatione & in unione meritorum Christi, & sanguinis ejus infinitè pretiosi, quem in cruce è vulnere manûs dextræ effudit.

## 2. Pete lumen.

**I**llumina oculos meos, ne unquam obdormiam in morte, nequando dicat inimicus meus, prevalui adversus eum. Pl. 12. Obsecro te Domine per sacratissimum sanguinem Filii tui, qui è vulnere sinistrae ejus manûs manavit, fac me agnoscere & detestari peccata mea.

## 3. Discute mentem.

**P**roba me Domine, & scito cor meum, interrogame, & cognosce semitas meas, & vide, si via iniquitatis in me est, & deduc me in via eterna. Pl. 138. Post examinatos defectus dic: *Nonne DEUS requiret ista? ipse enim novit abscon-*

scan-